

Alte Drucke

**Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de
Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ
Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...**

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm. XCVII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

PSALM. XCVII.

SEU

Sexta CANTICI de Magno SABBATHO Pars, quæ
 itidem Electorum quædam vox est, seu Tuba quarta, etiam
 ad Insulas usque pertingens, & vocatur ab Apost.
 Hebr. i. 6. Psalmus, in quo Primogenitus, id est,
 CHRISTUS, denuò (id est Secunda vice)
 in Mundum Introducitur.

1. **E**N Regni DEUS ipse sui moderatur habenas !
Gaudeat hinc Terra ac Insula queque Maris !
Quam vagus Oceanus refluis complectitur undis,
Sub quoquaque Globi cardine, sive Polo.
2. **H**unc circum umbriferæ Nubis prætexit amictus,
Noxque tenebrosa veste cooperuit.
Iustitia est Regni solium, immotumque tribunal,
Et comitantur eum Iudicii famuli.
3. **A**ntè volant sœvum rutilantes Fulminis Ignes,
Flammaque concomitans obvia quæque vorat.
4. **F**ulguribusque micat latè flagrantibus æther,
Quæ cum Terra videt, tota tremiscit hians.
5. **S**axa fluunt, rapido ceu Cera liquefit ab igne,
A facie Cœlorum & Dominantis eis.
6. **E**jus Iustitiam Cœli testantur, & omnes
Cœtus, Majestas quanta sit ista vident.
7. **H**os pudeat qui vana colunt Idola, suisque
Sculptilibus miseri Numen inesse putant.
Huic uni genua o reliqui submittite Divi,
O reliqui, tantum Nomina vana, Dei !

I

Vel

*Vel quos sepe Deos dicit sacra Pagina (sive
Terricolas inter Cælicolum re Choros.)*

*Huic soli servite omnes, huic munera fert,
Hunc solum precibus supplicibus colite.*

8. *Audiit hec afflictæ SION, & Filia IUDÆ,
Utraque Iudiciis lœtificata tuis.*

9. *Nam procul astriferi trans ignea Mænia Cæli,
Tu, rerum pollens, omnia solus agis.*

*Teque Deos infra longè premis altior omnes,
Hosque tuo obscuras lumine terrorifico.*

10. *Ergo Deum quicunque volet constanter amare,
Hunc decet à vitiis abstinuisse manus.*

*Cordi namque Deo est Pietas, Vitamque Piorum
Eruit ex foveâ, restituitque sibi.*

11. *Et Lætum effundit lumen Cultoribus æqui,
Et facit internis deliciis fluere.*

12. *Vos quibus est cordi reverentia Iuris & æqui,
Gaudete, & Nomen glorificate Dei !*

Hic Psalmus est quasi appendix præcedentis Novi Cantici, utpote continuatio quædam, seu reiteratio Tubæ, non solum per omnem Orbis habitabilis Continentem, sed & per Insulas etiam clangentis. In hunc Psalmum alludit Apost. Paulus quando de reducendo in Mundum Primogenito, sic loquitur : *Et cum iterum introducit Primogenitum in Orbem terrarum, dicit, Et adorent eum Omnes Angeli Dei.* Quæ verba quum hinc sint desumpta, Sole clarissimis inde apparet, heic Primogenitum iterum, id est *secunda vice*, in Orbem terrarum introduci. Quis autem ille Primogenitus, qui cum semel in Mundum missus fuerit, iterum erit mittendus? non amplius ad patiendum, sed ad regnandum; non in formâ Servi, sed in formâ Filii DEI? non ut judicetur à Mundo, sed ut judicet Mundum? Quis, isquam, ille? Nisi JESUS CHRISTUS, benedictus in sæcula? prout ex Psal. 89. 28. Col. 1. 15. & Hebr. 2. 10. evidenter liquet. Atqui si est JESUS qui heic introducitur, tunc ille יהוָה iste est, in quem totus hic Psalmus, imo & omnia hæc Magni Sabbathi Cantica, respiciunt, ut supra notavimus. Atqui si ille Jehovah iste est, qui heic introducitur, considera quid discriminis sit futurum inter Primum & Secundum ejus adventum. Tria autem heic Capita observo.

I. *Solennem Introductionem hujus Regnantis, vers. 1, 2, 3, 4, 5.*

II. *Eiusdem Effecta & Operationes, tam in Cælo quam in Terrâ, vers. 6, 7, 8, 9.*

III. *Consolationem pro iis qui Deum amant, & Justitiam operantur, vers. 10. 11. 12.*

Quod

Quod Primum attinet, nempe Solennem hujus Regis introductionem in Mundum, illud habemus in his verbis

1. *Jehova regnat, exultet Terra! lætentur Insulæ multæ.*
2. *Nubes & caligo in circuitu ejus: Justitia & judicium habitaculum Solii ejus.*
3. *Ignis coram eo ambulet, & exurit in circuitu hostes ejus.*
4. *Illustrant fulgura ejus Orbem: videt & tremunt Terra.*
5. *Montes sicut Cera dissolventur à facie Jehova, à facie Domini totius Terræ.*

Hæc Primogeniti, seu Regentis summi, Introductione nobis heic describitur ex Circumstantiis, quæ sunt quinque.

Quorum Primum ponimus in Voce, seu Tuba illâ, quæ ad Terram universam & Initias multas proclamat, dicendo: *Jehova Regnat*: Ille tam diu exoptatus Dominus & Regens, qui tibi, ô Terra, pro spinis & tribulis omnimodam restituet benedictionem; qui opprobrium tuum à te tolleret, & primigenium tuum decorem tibi reddet; & qui Vos, ô Insulæ, iterum cum Terrâ Continenti coadunabit: unde meritè est, cur exultet Terra, & cur lætentur Insulæ.

Secunda hujus Introductionis Circumstantia, est, *quod in circuitu ejus sint Nubes & caligo*; velut tentorium quo circumvallatur, vel Currus in quo vehitur, vel tanquam Venum quo nimis effulgentem suæ faciei claritatem velut obtegit. Alii Reges & Dynastæ, se volucrum pennis & velleribus pecudum vestiunt, aut tapetis & aulæis hominum manibus confectis: Ast hic prodit cum Nube & Caligine, non aliter quam ipse Sol, eoque ostendit, se nullius creaturæ indigere, sed ejus creaturas omnes indigere: & quicquid ipse præcipit, aut optat, suo mandato aut voto omnia parere. Ratio hæc est. *Eo quod Justitia & Judicium sint habitaculum seu firmitudo Throni ipsius*. Quemadmodum enim antehac, Injustitia, & eam consequens Judicium, Primum Adamum & omnes ejus posteros, jure illo quod habebat in omnes creaturas privavit, ejusque regnum & solium in Terrâ prorsus evertit: ita nunc Justitia quoque, & eam consequens Judicium, Secundo Adamo suum in omnes creaturas jus restituet, & Solium suum pro se & suis in æternum confirmabit. vers. 2.

Tertia hujus Introductionis Circumstantia est, *Quod Ignis coram eo ambulet*; qui exurat undiquâque hostes, faciatque ut omnes ejus adversarii non sint nisi stramen & stipula à facie ignis. vers. 3.

Quarta Circumstantia, quod fulgor ex eo lucens erit Fulgoris instar, quod totam terram illustrat, prout in Fulmine videre est. Quocirca & Dom. Jesus, Luc. xvij. 24. Adventum suum, (five internum in Animam cuiuslibet fidelis, five externum hunc in totum Mundum) assimilat Fulguri, quando dicit: *Nam sicut fulgor coruscans ex una regione qua sub cælo est splendet: Ita & Filius hominis erit die suo*. Quemadmodum igitur Fulgor, ubicunque appareat, se ipsum omnium oculis manifestat; ita & hic J. Christi adventus omnibus hominibus se manifestum reddet, eisque pavorem & tremorem incutiet, vers. 4. *Illustrant fulgura ejus Orbem; videt & tremunt Terra.*

Quinta Circumstantia est, *quod Montes* (id est quicquid altum & elatum est, à facie ejus velut Cera liquefcat: ut ipse solus die illo exalteatur. Sic quoque loquebatur Esa. ij. vers. 11, 12. quando dicit: *Quod oculi elati humiliabuntur, & quod incurvabitur altitudo hominis, & quod Jehova solus in die illa exaltabitur*. Nempe, ipsius ille Jehova de quo heic, vers. 5. *Montes dissolventur sicut Cera à facie Jehova, à facie Domini totius terræ*.

En, confer jam hanc secundam Primogeniti in Mundum Introductionem cum primo ejus Adventu ! & oppone semel has quinque Circumstantias istis, quæ in primo ejus Adventu notantur. Quomodo nunc non nudus, & veste destitutus, apparebit ; sed gloriæ & fortitudine indutus. Non laneis aut lineis fasciis involutus, sed undiquaque Nube & Caligine circumdatus : non velut Agnellus macerationi dandus, sed velut Leo, suos in circuitu Inimicos domiturus ; Non velut quis, qui ad sua venit & à suis tamen non recipitur ; sed velut Fulgor quod lumen suum vibrat, seque ipsum omnium oculis manifestat. Non amplius velut quis, contra quem insurgant omnes Magni & Potentes hujus Mundi, se obdurantes contra eum ; sed velut quis, à cuius facie omnes Magni & Potentes hujus Mundi tanquam Cera liquecant. Quis de tali Adventu , seu Introductione aliquius Regis, aut Dynastæ, unquam audivit ?

II. Effecta autem & Operationes hujus tam Illustris Introductionis, tam in Cœlo quam in Terra (quod secundum hujus Psalmi Caput statuimus) exprimuntur, vers. 6, 7, 8, 9.

6. Annunciant Cœli Justitiam ejus, & videant omnes Populi gloriam ejus.

7. Pudore afficiantur omnes qui serviunt Sculptilibus, qui jaſtant se de Idolis : Incurvate vos ei Omnes Dii ! 8. Audivit, & latata est SION , & exultaverunt filiae Jehudah, propter Judicia tua, Jephova . 9. Quoniam tu Jephova excelsus super omnem terram : valde exaltatus es super omnes Deos.

Effecta & Operationes hujus Magni Regis Introductionis conspicientur tam suprà, inter Cœli incolas, ac infrà, inter Terræ habitatores ; nec non & in Sione & in Filiabus Jehudah.

Incolæ Cœli sunt Angeli DEI : qui, percepto hujus Regis Introitu, illico Justitiam ejus sunt annunciaturi, dicendo (prout suprà ex Apoc. 5. allegavi) Eum dignum esse qui accipiat Fortitudinem , Divitias, Sapientiam , Potestatem & gloriam. Et velut Majestatis sue Ministri in circuitu Throni continuò stabant. Matth. xxv. 31. Et non modò Cœli Incolæ hujus gloriae Comites & Spectatores erunt, sed & quicunque tunc temporis Terram inhabitabunt, videbunt ejus gloriam. Et quicunque inter eos sculptilibus se incurvaverant & Idolis servierant, magno tunc pudore suffundentur, nescientes quid se vertant à facie hujus Primogeniti & Filii Altissimi : cuius autoritas & dignitas talis erit, ut etiam Angelis DEI (nam ita vertit Apost. hæc verba ad Hebr. 1. 6.) disertè Mandatum hoc detur : Incurvate vos ei omnes Dii : Quantò magis iis, qui in Terris Dii nominantur ? vers. 7. Pudore afficiantur omnes qui serviunt Sculptilibus, & qui jaſtant se de Idolis : Incurvate vos ei omnes Dii. Id est Angeli. Sed econtrà, qui Sculptilibus non servierunt, & de Idolis se non jaſtarunt, quemadmodum SION & Filiae Jehudah, illi tunc non pudebent ; sed Domino in occursum ibunt, de ipsius judiciis summopere gavisi, dicendo : Tu Jephova excelsus super omnem terram : valde exaltatus es super omnes Deos. vers. 9.

Per Sionem intelligimus Conversos Judæos, & per Filias Jehudah omnes versus DEUM Confidentes ; qui spe Gratiae & Misericordiaæ Divinæ fese humiliter & patienter sub DEI castigatione & judiciis submisere, & eum in diem usque ita persistere. Hi enim, quamprimum Regem gloriae in hoc suo Adventu per-

perceperint, præ gaudio exultabunt, & de judiciis D E I ex corde gloriabuntur. En hæc sunt Effecta & Operationes tam Cœlo quæm Terrâ conspicuae, hujus Magnificentissimi Regis Secundi in Mundum Introitus. Sequitur

Tertium hujus Psalmi Caput, quod est Consolatio ad eos directa, qui DEUM amant & Justitiam operantur; vers. 10, 11, 12.

10. *Qui diligitis Jehovam, odio habete malum: custodit animas misericordium suorum; e manu impiorum eruit eos.* 11. *Lux sata est Justo, & rectis cordis Lætitia.*

12. *Lætamini justi in Jehova, & confitemini memoriae Sanctitatis ejus.*

Posset quidem hæc Consolatio, hodierno afflictionum & expectationum tempore applicari, ad nos interim roborandos in spem gloriosi istius successus, quo tandem fruentur qui verè D E U M amant & Justitiam exercuisse tunc reperiuntur: Sed, quia hic Psalmus propriè Magnum illud Sabbathum spectat, post quod iterum Solutio quædam Satanae sequutur sit, nec non & alia inter Terræ Incolas Seductio quædam; idè satius duxi hanc Consolationem sumere, velut præmonitorum quid, & præcautionem, ne quis in diebus Gogi & Magogi se tam facile à Malo devinci ac seduci patiatur; sed malum potius odio habeat & justitiam diligit, quo semel perceptum à Dominu gaudium, firmum & constans perpetuò maneat. Tanquam si dixisset Psalmista. *Vos qui Dominum, per appari-
tionem suam & gloriosum in Regnum suum introitum, diligere semel cœpistis, videte ut
debinc porro Malum odio habeatis; utpote scientes & vivâ experientiâ edocti, quam Deus
animas Sanctorum præservat, & e manu & potestate Impiorum eripit.* Si cum SIONE
*& omnibus Iehudæ filiabus libenter gaudere, & continuo in luce & lætitia Cordis perma-
nere cupitis; sci tote. Quod Lux sata est Justis, non vero injustis: & quod lætitia sit pro
Rectis Corde, non pro insinceris animo. Unde reverè dicere possim, *Lætamini Justi
in Jehova, &c.**

P S A L M . X C V I I I .

S E U

Septima CANTICI de Magno Sabbatho Pars, quæ itidem
Electorum vox & Tuba quinta est, per quam omnes Terræ
Incolæ ad D E I laudem & cultum excitantur, occa-
sione sumptâ à Pop. Israëlitici in Terram suam
reductione, & gratiosa D E I, sui Pacti cum
Patribus transacti, recordatione.

I. **E** Ia, Novum JOVÆ carmen cantate, Novisque
Laudibus ad cœlos tollite Sacra DEI!

I 3

Facit